DE
COMMENTARIO VERGILIANO

QVI M. VALERI PROBI DICITVR

SCRIPSIT

ALEXANDER RIESE
PHILOS. DR.

BONNAE
APVD MAX. COHEN & FILIVM
MDCCCLXII

DE

COMMENTARIO VERGILIANO

QVI M. VALERI PROBI DICITVR

SCRIPSIT

ALEXANDER RIESE

PHILOS. DR.

BONNAE

APVD MAX. COHEN & FILIVM

MDCCCLXII

1867, Feb. 14.
Salisbury Fund.

Grammaticorum qui duobus fere primis imperatorum Romanorum saeculis floruerunt opera omnibus, qui posterioribus temporibus studiis incumbebant, pro fonte fuisse ex quo suos doctrinae rivolos deducerent nemini non notum est. Nihil enim boni fructus vel in ipsis rebus vel in tractandi ratione isti homines grammaticae disciplinae attulere, sed quae ab antiquioribus conscripta invenere, ea proprium inquirendi laborem fugientes, excerpere et compilare contenti erant. Quamobrem studiorum qualia priore illa aetate vigebant exactam animo imaginem imprimere operae maxime pretium est, quae tum demum quantum fieri potest accurata erit, si quae forte nullo iure illis temporibus tribui solent, ea a fastigio in quod elata sunt revocaverimus. Id quod, ut disputationis consilium primo statim limine aperiam, in commentariis Vergilianis qui M. Valerio Probo adscribuntur, faciendum esse censeo.

De M. Valerio Probo haec leguntur apud Suetonium de grammaticis c. 24:

„M. Valerius Probus, Berytius, diu centuriatum petiit, donec taedio ad studia se contulit. Legerat in provincia quosdam veteres libellos apud grammatistam, durante adhuc ibi antiquorum memoria, necdum omnino abolita sicut Romae. Hos cum diligentius repeteret atque alios deinceps cognoscere cuperet, quamvis omnes contemni magisque obprobrio legentibus quam gloriae et fructui esse animadverteret, nihilo minus in proposito mansit; multaque exemplaria contracta emendare ac distinguere et ad-

notare curavit, soli huic nec ulli praeterea grammatices parti deditus. Hic non tam discipulos quam sectatores aliquot habuit. Nunquam enim ita docuit ut magistri personam sustineret; unum et alterum vel cum plurimos tres aut quattuor postmeridianis horis admittere solebat, cubansque inter longos ac volgares sermones legere quaedam, idque perraro. Nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis edidit. Reliquit autem non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui."

Ad iuste aestimandam Suetoni fidem maximi est momenti ut quid sit illud adnotare cui Probus operam suam navavit, recte intellegatur. Non enim desunt qui eum parum accurate locutum esse putent. Sane autem mirum esset si Suetonius quem certissimum ubique rerum quas narrat auctorem esse inter omnes constat, hoc uno loco neglegentiae esset accusandus, praesertim cum auctoritatem loci augeat hisce disertis verbis adiunctis: „soli huic nec ulli praeterea grammatices parti deditus." Iure quidem in eo consentiunt, adnotandi officium initio, cum primum a Romanis exercebatur, unum hoc spectasse ut notarum criticarum quas grammatici Graeci excoluerant usum significaret, quem iam inter antiquissimos Romanorum grammaticos valuisse ex anecdoto Parisino de notis, ad Suetonium iure a viris doctis relato, certiores facti sumus; quod primum in diariis antiquit. litterar. 1845 p. 85 sqq., deinde in Reifferscheidi Suetonianarum reliquiarum editione p. 137 sqq. typis descriptum est. Ibi, enumeratis his notis, ita pergitur:

„His solis in adnotationibus Ennii Lucilii (Lucii ms.) et historicorum usi sunt Vargunteius (uarros. hennius ms., mutavit Bergkius, nescio an recte, sed melius in promptu non habeo) Aeliusque et postremo Probus, qui illas in Virgilio et Horatio et Lucretio apposuit ut Homero Aristarchus."

Quo loco docemur notarum usum apud Romanos et

esse peranticum et ipso adnotandi vocabulo significatum [1]), quod eadem vi iterum in hoc anecdoto p. 140 Reiffersch. legitur. Quare Mommsenus et hisce locis e quibus hunc verborum adnotare et adnotatio usum cognovimus, et eis quae de notis criticis a Probo adhibitis et in anecdoto et apud Servium ad Aen. I, 21. X, 444 nobis traduntur, permotus in disputatione „Ueber M. Valerius Probus de notis antiquis“ quae inserta est in „Berichte d. sächs. Gesellsch. d. Wiss. 1853 p. 91 sqq.“ apud Suetonium quoque adnotandi illud officium cui Probus deditus erat eadem ratione intellegi voluit, omnemque eius operam, cum „emendando ac distinguendo et adnotando“ constaret, in criticis scriptorum editionibus parandis positam esse censuit [2]). Atque sane, si ita explicandus esset Suetonius, confitendum foret eum de Probo minus accurate retulisse. Plurimis enim ex locis, de quibus infra agam, constat non notis tantum criticis sed etiam adnotationibus (quales nos hodie philologi, et recte quidem, appellare solemus) Probum scriptores quos tractavit instruxisse. Sed patrocinandum est fidei ac diligentiae Suetoni. Non enim illa quam dixi sola est vis adnotandi apud veteres grammaticos, sed multo saepius eodem modo invenitur quo nos hodie eo utimur, ut enarrandi et commentandi operam significet. Inspice quaeso commentatorum quos habemus antiquissimum, Asconium, qui in comm. ad Cornel. p. 74 Orell. sic scribit: „Hoc solum hic adnotandum est, hunc esse L. Sisennam qui res Romanas scripsit.“ Proxima antiquitate esse videntur scholia Veronensia, ubi vide ad Aen. IX, 369: „Hoc loco adnotant Probus et Sulpicius contrarium illi esse Sepsit

1) in quotidiana quoque vita eas adhibitas esse, cognoscitur ex Cic. epp. ad Att. VIII, 2, 4: »Id ex Pompei litteris cognosces, in quibus animadvertito illum locum ubi erit διπλῆ.« Minus certo huc referuntur Senec. Epp. 6, 4. Plin. Epp. 7, 17. 9, 26.

2) Eodem modo Bernhardyus in Allg. Lit. Ztg. 1840. N. 87 dicit: adnotare geht allein auf kritische Nachweisungen.

se tectis" sqq. ubi ex ipsius Probi commentario locus adnotationis nomine profertur; ad Aen. X, 207: „Adnotandum vero quod non dicit unde sit hic Aulestes nec quae secum ducat auxilia;" ad Aen. V, 488. IX, 402. X, 63. 564. Ecl. 3, 30. Ex Probi qui dicitur commentario unum afferam locum ad Ecl. 6, 31 p. 15, 24 ed. Keil.: „Aemilius Asper cum hunc locum adnotaret sic ait." Servi aliorumque innumerabilia exempla non opus est adstruere. Frontonianum illud (Epp. ad amic. II, 2): „Ciceronianos emendatos et distinctos habebis adnotatos a me" in certamen non vocarim, cum in utramque partem eodem iure trahi possit.

Recte igitur O. Iahnius in Prolegg. ad Persium p. CLXXX adnotationes grammaticorum plerumque interpretationes esse contendit. Sed etiam de notis criticis appositis verbum adnotare in usu fuisse supra vidimus. Cum vero Probus in utraque re operam posuerit [1]), Suetoni

1) Miror quod Wollenbergius »De Probo Vergilianorum carminum editore. 1857« nunc quoque postquam anecdotum illud iam diu innotuit, Probum illum qui Vergilium enarravit a notarum usu alienum fuisse contendit. Duos enim Valerios Probos fuisse dicit, alterum sub Nerone qui Suetonio teste scriptores adnotaverit cuiusque notas ex anecdoto compertas habeamus, alterum Hadriani aetate qui commentarios scripserit, e Gellio Servio Donato nobis notum. Verum ut taceam, illa quae apud Gellium leguntur mire quadrare in Probum Suetonianum (uterque enim minutis quaestiunculis in vetustis maxime scriptoribus tractandis intentus erat, neque discipulos sed sectatores aliquot habebat), plane tamen Wollenbergius duobus Servi locis refutatur, quos nimium quantum detorquere temptat; primum ad Aen. I, 21. 22. quem ms. Cassellanus ita exhibet: »In Probi adpuncti sunt. Et adnotandum, hi duo si eximantur, nihilominus sensus erit integer«. Adpuncti i. e. nota instructi de qua et anecdotum et Isidor. Origg. I, 20: »∸ Obelus cum puncto (Obelus superne adpunctus Isidor.) ad ea de quibus dubitatur tolli debeant necne«. Quam lectionem Wollenbergius hac de causa improbat, quia non ut de aliis nonnullis notis aperte dictum sit, Probum ea usum esse, ob-

illud adnotare, cui deditus erat, si quidem Suetoniana diligentia dictum est, ad utramque spectare oportet. Et quamquam mihi quidem certum exemplum nullum innotuit verbi adnotare utraque simul notione positi, per se tamen consentaneum est, notas et adnotationes quippe quae ad eandem rem, scriptoris explanationem, pertineant, hoc vocabulo potuisse comprehendi.

Ab huius incuriae culpa quoniam Suetonium liberavi, eum commentariorum Probi nullam fecisse mentionem, aliud restat, in quo quis a vero eum alienum putare possit. Quod enim dicit „quamvis omnes (i. e. vetustos scriptores) contemni magisque obprobrio — esse animadverteret, nihilo minus in proposito mansit; multaque exemplaria contracta emendare ac distinguere et adnotare curavit, soli huic nec ulli praeterea grammatices parti deditus" facile quis ita possit intellegere quasi vetustis tantum perscrutandis eum operam navasse Suetonius narret, et recte quis opponat, Vergilium quoque et Horatium a Probo tractatos esse. Quem equidem nolim cum Reifferscheidio (ed. Sueton. p. 395) ita impugnare, ut scriptores qui sub Augusto floruerant, Neronis temporibus antiquos iam appellatos esse et contemptui fuisse dicam, — id enim Horatio et maxime Vergilio nullo unquam tempore accidit — sed ita potius ut aliter ac volgo fit, Suetonium intelligendum esse de-

---

litus in praefatione anecdoti omnium harum notarum usum Probo ceterisque qui ibi nominantur, iam esse adscriptum. Alter locus est ad Aen. X, 444 quem mss. plerique exhibent: »Satis licenter dictum est, adeo ut huic loco Probus hic correptum a longum posuerit« a Burmanno bene emendatus: »ut hoc loco Probus corrupto alogum posuerit.« cf. Isidor. l. c. »Alogus, nota quae ad mendas adhibetur«. Vbi ille, ne Probo Serviano notarum usus concedendus sit, sic mutat: »ut Probus hunc locum corruptum aut ἀκυρολογίαν posuerit» quod non opus est longius refutare. — Nulla omnino ratione fieri potest, ut Probus qui notas scriptoribus apposuit a commentatore Probo secernatur.

monstrem. Proprium illi est magnos sententiarum numeros in unum coacervare, quo non periodi unum quasi caput habentes illudque omni ex parte explanantes efficiuntur, sed tenui vinculo conexa enuntiata, quorum unumquodque ad proxime praecedens tantum spectat. Cuius rei cum ubique apud illum exempla se offerant, unum tantum quod nostro loco proximum est apponere libet, cap. 23: „Luxuriae ita indulsit ut saepius in die lavaret nec sufficeret sumptibus, quamquam ex schola quadringena annua caperet, ac non multo minus ex re familiari, cuius diligentissimus erat, cum et officinas promercalium vestium exerceret et agros adeo coleret, ut vitem manu eius insitam satis constet CCCLX uvas edidisse.“ Hanc normam si sequimur, noster locus ita est explicandus: In antiquis mansit; multa eorum exemplaria curavit; omnino nulli rei nisi exemplaribus scriptorum curandis intentus erat. Haec Suetonius non quidem pulchre sed ad suum scribendi genus accomodate expressit, et cum ipsa veritate haec quam maxime congruunt.

Iam cum Suetonium sincerum esse auctorem in Probi rebus narrandis, quas ab illius familiari eum accepisse puto, contendi possit, haec eius imago ex ceteris veterum testimoniis supplenda est. Inter quos primum locum Gellius obtinet, qui ipse cum amicis et sectatoribus Probi velut cum Anniano Fescenninorum carminum scriptore familiaritate coniunctus partim e scriptis partim e privatis eius sermonibus quae memoratu digna putavit noctibus Atticis inseruit. Ea virum doctum nobis ostendunt minutis rebus grammaticis in vetustis maxime scriptoribus investigandis deditum (N. A. I, 15. VI, 7. 9. IV, 7), praeterea autem Vergilium tractantem (XIII, 21) et de poetica pulchritudine subtiliter disputantem, Vergilium etiam cum Homero satis libere comparantem et huic postponentem (IX, 9); ita ut et verborum tractationem, prosodiam, emendationem et de poetica praestantia iudicium ei curae fuisse ex Gellio

intellegamus. Notandum est, rerum a scriptoribus tractatarum nullam Probi explicationem apud Gellium inveniri; sed cum omnino non plurimis locis ab eo afferatur et ille rebus explicandis ipse minus intentus fuerit, inde nondum concludi potest talia a Probo neglecta esse. Sed multo certius hoc fiet consideratis eis quae Servius permultis locis et scholia Veronensia e Probi commentariis Vergilianis afferunt[1]). Apud hos enim circiter triginta sex loci Probiani servati sunt[2]) (quorum unus ad Aen. II 173 apud utrumque legitur) qui partim de emendatione (in qua licentius eum versatum Wagnerus demonstravit Philolog. XVI p. 541 sq.) distinctione orthographia agunt, partim verborum usum et significationem indagant, alii criticum de quorundam locorum pulchritudine iudicium exercent, quaestiones etiam movent de obscura sententiarum verborumque significatione[3]); nullus autem in rebus quas poeta tractat enarrandis versatur. Omnino hic quoque easdem quas

---

1) Conspectum eorum exhibet Suringar histor. crit. scholiast. Lat. II, 17 sqq. Serviana etiam apud Wollenbergium de Probo Verg. edit. p. 5 sqq. reperiuntur.

2) Nonnullos locos Osannus Beitr. zur Litt.-Gesch. II, 269 sqq. ad iuniorem Probum artigraphum qui quarto p. Ch. saeculo vixit referendos censet, inter quos ad Georg. I, 277. Aen. I, 1. 194. quos Lerschius in diariis antiquit. litterar. 1840 p. 111 sq. Probo Berytio restituendos esse recte demonstravit. Sed potest esse ut Serv. ad Aen. II, 15 »Instar nomen est indeclinabile, licet Probus instaris declinaverit ut nectaris« et ad Aen. VI, 866 »Ad instar non dicimus quod Probus declinat« (declarat mss., em. Suringar.) ex artigrapho petita sint cf. Cathol. p. 1458 Putsch. nec non ad illum cum Osanno ego hunc locum retulerim ad Aen. VII, 421: »Probus de temporum connexione libellum composuit in quo docet quid cui debeat accomodari, ex quo intellegimus hanc quam fecit arduam esse connexionem«.

3) Falso Wollenbergium p. 9 suspicari puto, Probum esse inventorem duodecim locorum insolubilium quos Servius ad Aen. IX, 363. XII, 72 commemorat. Tales nugae scholasticae ab illo alienae et posteriore demum aetate excultae esse videntur.

apud Gellium res curae ei fuisse videmus. Haud aliter res se habet in octo fragmentis quae e Terentianis Probi commentariis Donatus affert [1]). Accedunt denique haud pauci apud Charisium Diomedem Priscianum loci, quibus leges grammaticae et formae vocesque rariores vel obsoletae Probi auctoritate confirmantur; quorum cum eos qui apud Priscianum leguntur fere omnes exscriptos esse ex deperditis partim, partim servatis iunioris Probi artigraphi locis Osanno Beitr. z. Litt.-Gesch. II 210 sqq. visum esset, novissimi editores plerosque locos Probo Berytio attribuendos esse optimo iure statuerunt (Keilius in praef. ad Charis. p. LII sqq. Hertzius ad Prisc. V 45 p. 171). Praeterea quae in schol. Bernens. ad Georg. IV 134 leguntur: „Carpere, carpebat; infinitivo enim imperfecta tempora significat more veterum, ut Probus ait" originem suam ex Valerio Probo fortasse ducunt; ad quae infra revertendum erit. — Vnus tantum locus exstat, quo ipsi rei breviter enarrandae operam dedit, apud Macrob. Sat. V 22; qui prolatis versibus Georg. III 391 sqq. ita pergit: „In hoc loco Valerius Probus vir perfectissimus notat nescire se hanc historiam sive fabulam quo referat auctore, quod tantum virum fugisse miror." Quod enim ad Phorm. I, 1, 15 affert quae Varro de initiandi more tradit, inter verborum magis quam inter rerum explicationes equidem posuerim.

Hac descriptione omnium Probi qui exstant locorum evincitur, grammaticarum maxime rerum tractationem et praeterea artis poeticae iudicium praecipuae ei in adnotatio-

1) Leguntur apud Suringar. l. c. I, 99 sq. addidit Iahnius Probi commemorationem ap. Rufinum p. 2713, ubi inter illos enumeratur, qui veteres Romanorum fabulas versibus conscriptas esse putant. Addenda est praeterea adnotatio ad Phorm. I, 1, 15: »ubi initiabunt. Legitur apud Varronem initiari pueros Eduliae et Poticae et Cubae divis edendi et potandi et cubandi, ubi primum a lacte et cunis transierunt; quod Virgil. Ecl. IV: nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est. Hoc adnotavit Probus.«

nibus curae fuisse, rerum autem enarrationem eo usque tantum eum coluisse quoad omnino commentator non potuit neglegere; ut uno verbo complectar: *non philologum eum fuisse sed grammaticum* (quorum studia Senecam Epp. 108, 29 sqq. disertis verbis discernere notum est). Quare quid in Vergilio praestiterit, Lerschium recte puto ita demonstrasse (diar. litt. antiq. 1840 p. 113): „Es gab ein oder mehrere Exemplare des Virgil von Valerius Probus eigner Hand verbessert, in Bücher abgetheilt und interpungirt, wozu noch Randglossen oder selbständige Bemerkungen *als Vollendung des kritischen Geschäfts* hinzutraten.“ Grammaticas res etiam in minutis illis quaestiunculis quas Suetonio teste edidit eum tractasse concludi potest ex duabus quas novimus: „De occulta litterarum significatione in epistularum C. Caesaris scriptura“ (Gell. XVII 9) et „de inaequalitate sermonis“ (Charis. p. 212 K.) quae omnium iudicio Probo Berytio tribuenda est. Summos autem doctrinae fructus in silva illa observationum sermonis antiqui collocasse videtur quam post mortem eius ab amicis editam esse Suetonius ut puto significat, et Gellius cum „in multis admodum Probi commentationum libris“ quos adquisierat de origine vocis petorriti se quaesivisse dicat hanc silvam possedisse videtur (XV, 30, 5. cf. O. Iahn Prolegg. ad Pers. p. CXXXIX).

Probi adnotatio et signis criticis et enarratione constabat. Neque haec res neque illa quod non solum vetustis scriptoribus operam navabat, contra Suetoni narrationem pugnat. Enarratio Probi non in rerum explanatione sed in verborum fere tractatione continebatur.

Criticis notis qua ratione usus sit, fusius demonstrare nec possum neque volo; ex anecdoto Parisino videmus hac in re eum Alexandrinorum vestigia pressisse (sed hariolatur Bergkius, Probum et Suetonium Cratetis partibus, Asprum Aristarchi adsignans, cf. Wachsmuth de Cratete

Mallota p. 7). Scriptores eum edidisse Vergilium et Terentium ex Servio et Donato scimus; Vergilium Horatium Lucretium anecdotum commemorat. Persium ab eo editum esse neque contendo neque negare audeo, cum certa non exstent argumenta quibus vita Persi quae in libris saec. XI „de commentario Probi Valeri sublata“ dicitur ei abrogetur; namque non priscos tantum eum tractasse iam vidimus; vitas autem scriptorum omnibus commentariis etsi in ipsis res enarrandas fere neglexit, non est cur eum praeposuisse negemus, neque quidquam in hac vita continetur quod ab alio atque scriptoris aequali profectum esse possit. Hisce scriptoribus quos edidit agmen nondum completum esse facile suspicamur, cum fuerit diligentissimus et antiquorum qui tunc foede neglecti editoremque quasi ultro provocantes iacebant amantissimus; certa autem nomina nulla iam nota sunt. — Aetatem Probi, quam Ritschelius in Parergis I p. 628 et Iahnius ibid. in adnot. p. 618 ab Hieronymo temere ac nulla ratione Neronis aetate fixam esse agnoverunt, Domitiani saeculo statuendam certissimo Martialis testimonio docemur, qui (III, 2, 12) libellum suum quem amico cuidam dedicat sic adloquitur: „Illo vindice nec Probum timeto“ ex quo intellegimus et Probum tunc floruisse et poetas ei aequales timuisse acre quo utebatur iudicium. Non paucos etiam postea annos eum vixisse ex eo probabile videtur quod Gellius qui circiter a. 150 p. Chr. scripsit, ipse eos noverat qui Probi amici fuerant. Mortuus erat cum Suetonius de grammaticis libellum composuit, quod ipsum quo anno factum sit nescimus.

Iam tandem postquam Valeri Probi imaginem quandam quantum potui ex veterum testimoniis depingere conatus sum, opus adgrediar quod mihi proposui ut qui unus

sub eius nomine commentarius hodie quoque circumfertur quo iure ei attribuatur perscruter. De ea re ut multi iam viri docti sententiam tulerunt, ita a plerisque per occasionem tantum breviter et strictim hoc factum est. Primus suppostitios esse H. Stephanus iudicavit; idem Fabricio placuit Heynioque qui pauca tantum in hoc commentario Probo digna esse censuit. Contra Ruhnkenius libelli auctorem „grammaticum ipso Servio doctiorem“ et antiquissimum putat. Heyni sententiam Suringarius amplexus est. Osannus (Beitr. z. Litt.-Gesch. II 272 sqq.) cum nil certi constituere velit, tamen fundamentum quoddam operis ad Berytium referri posse putat, quod plurimis postea interpolationibus sit superfusum. Vergilium a Probo explicatum esse omnino negavit Schopenus (de Terent. et Donat. p. 31). Primus autem non leviter et quasi in transitu, sed argumentis curiose examinatis hanc quaestionem O. Iahnius in Prolegg. ad Pers. p. CXLI sqq. tractavit, qui duabus de causis ipsius Valeri Probi commentarium, quamquam non genuina forma, sed excerptum passimque interpolatum nos possidere censet, primum quia scriptorum qui multi ibi proferuntur, nulli quod sciamus Probi aetate recentiores sint, deinde quia in rebus tractandis scriptoribusque afferendis tanta sit doctrina adhibita, ut nisi a grammatico admodum antiquo non possit esse compositus. Idem fere Bergkius sentit (diar. antiq. litt. 1845 p. 127), in quo hoc unum miror quod cum ipse brevi tantum adnotatione Probum usum esse contendat (l. c. p. 122. 130), non tamen dubitat etiam longissimas commentari explicationes eidem adscribere. Postremo Reifferscheidius (ed. Sueton. p. 398) Iahnio adstipulatus est.

Argumentorum quibus hi viri docti nituntur alterum, magnae eruditionis testimonia per hunc librum esse dispersa, statim multa ex parte concedendum est (sed infra eo revertam); alterum autem, auctores Probi aetate recentiores nullos adferri, una fortasse re, prout de ea iudica-

bitur, aut dissolvi aut saltem infirmari poterit. Vergili enim commentatores cum non ita paucos ante eum de quo agimus exstitisse ille prodat ipse, in locorum interpretatione „quosdam“ saepe significans quibus alii „quidam“ opponuntur (velut ad Ecl. 3, 40. 6, 31. Georg. I, 19. 297), unum tantum nominatim profert, Aemilium Asprum. De cuius aetate certi quidem nil effici potest, attamen valde suspicor recentiori tempori adscribendum esse. Nil quidem ex paucis eius quae supersunt fragmentis possumus concludere, neque quidquam momenti tribuendum est Bergki coniecturae (l. c. p. 125) qui ap. Suidam v. *Ἡρακλείδης Ποντικός* verbum *Ἄπερος* nulla omnino de causa in *Ἄσπερος* mutavit, quem nostrum Asprum esse et in Claudi imperatoris aetatem referri volt. Consideremus potius notum illum Hieronymi locum (apol. adv. Rufin. I t. IV, 1 p. 367 Ben.): „Puto quod puer legeris Aspri in Vergilium et Sallustium commentarios, Vulcatii in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius et in Terentii comoedias, praeceptoris mei Donati aeque in Vergilium et aliorum in alios, Plautum videlicet, Lucretium, Flaccum, Persium atque Lucanum.“ Quattuor qui hic nominantur interpretum duo, Victorinus et Donatus, Hieronymi fere aequales erant, Vulcatius aliunde non notus est nisi quod ex Hieron. Epp. 70, 2: „Nunquam hoc quaereres, nisi te totum Tullius possideret; si scripturas sanctas legeres, si interpretes eorum omisso Vulcatio evolveres“ tunc temporis cum maxime in usu fuisse intellegitur. Si autem omnem quarti p. Chr. saeculi statum et condicionem perpendimus, num verisimile est commentarios primi saeculi tunc lectitatos, quin etiam quod Hieronymus aperte dicit, in scholis a pueris lectitatos esse? Non profecto; quamobrem et Vulcatium et Asprum multo recentioribus temporibus adscribendos esse puto[1]). Iam vero cum in commentario qui

1) Rursus autem ne nimis sero tempore eum vixisse credas,

Probi dicitur Aemilius Asper bis commemoretur, necessario consequeretur a Valerio Probo qui Domitiani aetate vixit eum alienum esse, et omnis quaestio ad liquidum esset perducta, si omni dubitatione argumentum meum careret; quod cum ultra probabilitatis laudem ne a defendentibus quidem quidquam postulare possit, aliis e regionibus opus est ut novis subsidiis confirmetur.

Quum duo illa argumenta, doctrinam haud mediocrem in hisce commentariis inveniri et scriptorum qui afferuntur nullos Probo recentiores esse, praeterquam quod de Aspro valde in incerto res est, sine dubitatione admittenda sint, tamen aliae quoque quaestiones oriuntur, e quarum diiudicatione pendet, utrum Probus libri auctor habendus sit necne. Quaerendum enim est, num et cum indole atque ingenio Probi et cum omni studiorum illius aetatis statu et condicione commentarius consentiat.

Primum quod ad indolem Valeri Probi attinet, supra demonstrare temptavi eum maxima ex parte grammaticis rebus investigandis deditum fuisse, alias res explicandas non magis curasse quam commentatori omnino necessarium fuerit. Contra illius de quo agimus libri scriptori nil omnino fuit in animo nisi ut res explicaret nominumque maxime propriorum praeberet interpretationem, quo factum

---

Charisius prohibet, qui Asprum nonnullis locis nominat. Charisium enim a Dositheo quem constat a. p. Chr. 207 scripsisse, in usum esse conversum, Oehlerus recte ut videtur in Mus. Rhen. XVII, p. 55 sqq. demonstravit. Quod si ita res se habet, fieri vix poterit ut recentiori quam M. Aureli Philosophi aetati Asprum tribuamus. Quamquam igitur Victorini et Donati non est aequalis, tamen commentarium M. Aureli tempore scriptum multo verisimilius est, Hieronymi aevo in scholis lectitatum esse, quam si Nerone iam imperante compositus esset. Qui in cod. Vat. 1492 saec. XV scripsit »Asper grammaticus civis Romanus tempore Antonini Philosophi fuit« (cf. Keil. Mus. Rhen. V, 317 sq.), eum cum nesciam unde hauserit nondum in partes meas traxerim.

est ut mythologicis geographicis astronomicis physicis aliisque rebus librum refertum habeamus, ad grammaticam duae tantum sententiae eaeque non supra modum eruditae spectent (ad Ecl. 4, 58 ubi verborum iterationis tria exempla proferuntur „ne sit mirum hic quoque iterationem a poeta frequentatam" et ad Georg. I, 70: „adspirant harenam quia haereat, cui ἔτυμον adiunctum est quod etiam haurit, hoc est in se receptum humorem trahit"). Praeterea Graeca nonnunquam vocabula vertuntur (Ecl. 2, 61: πάλλειν enim quatere vocant Graeci. 7, 61: Alcides Hercules — ἀπὸ τῆς ἀλκῆς id est fortitudine. ibid.: Ἥρα quam Iunonem dicimus. Georg. I, 11: Quercus Graece appellatur δρῦς, ἅμα significat simul. I, 67: ἄρκτος enim Graece ursa dicitur, cauda οὐρά. I, 78: λήθη est enim oblivio etc.) et talia quidem qualia Probi tempore, Graecae etiamtum linguae studiis vigentibus, pueri iam Vergilium tractantes non iam edocendi erant[1]). Sed ut sint illa ab interpolatore postea addita — fieri potuisse non puto ut ex grammatici Probi commentariis hic noster qui philologum ubique ostendit, sit excerptus. Quamquam hoc quoque argumentum non omnes fortasse pro certissimo habebunt, cum ita quis possit concertare, excerptorem istum dedita opera res grammaticas quas apud Probum invenerit neglexisse, reliquas tantum exscripsisse. Sed succurrit mihi res satis notabilis, commemorata illa quidem iam a Suringario l. c. II 16 sed non satis illustrata, quod quem unum Probi locum ipsas res respicientem nobis servatum esse apud Macrob. Sat. V, 22 supra dixi, is in hoc commentario non solum non exstat (haec in excerptorem conferri possit culpa), sed ne potuit quidem, ut existimo, inesse. Sunt versus Vergili in Georg. III 391 sqq.:

munere sic niveo lanae, si credere dignumst,
Pan deus Arcadiae captam te Luna fefellit,
in nemora alta vocans; nec tu aspernata vocantem.

1) cf. Bernhardy Röm. Litt.-Gesch. ed. quart. p. 81. cf. p. 87.

„In hoc loco“ ait Macrobius „Valerius Probus vir perfectissimus notat nescire se hanc historiam sive fabulam quo referat auctore.“ Inde consequitur ipsam fabulam quae adumbratur magis a Vergilio quam narratur Probo non fuisse notam. Quid autem in commentario qui Probi fertur ad hunc locum legitur? „Pan Mercuri filius cum Lunam concupisset et haberet optimum pecus, poscente ea partem pecoris pro concubitu dicitur pollicitus et duas partes fecisse gregem, quarum alteram candidiorem sed lanae crassioris: Lunam deceptam candore deterius pecus abduxisse poeta significat.“ Quam historiam sive in quocunque libro iste repperit sive quod verisimilius est ipse sibi finxit (non raro enim illum speciei tantum eruditionis appetentem fictis se narrationibus exornare infra videbimus): certum est eum specie aliqua voluisse indui quasi rem notam teneret, quod cum Valerius Probus noluerit, ignorationem ut vidimus libere confitens, consequitur (ut cautissime progrediar) hanc quidem adnotationem non esse ab eo conscriptam.

Ad alterum iam caput transeundum est, ut cum illo quo Probus vixit tempore hunc commentarium minime congruere demonstrare coner. Quamquam hoc quidem nolo premere, antiquioribus interpretibus (neque id minime ut supra diximus Valerio Probo) curae fuisse ut non solum scriptores curiose et diligenter explanarent, sed etiam iudicium de singulis locis facerent laudando vel non raro vituperando, ut alia nimis breviter, iusto copiosius alia enuntiata esse, ut in usu verborum, in sententiarum constructione, in tractatione rerum melius quaedam agi potuisse ostenderent, cuius rationis exempla ex Vergilianis commentariis petita apud Gellium invenies. Postea vero quo magis ab illorum aetate recederent et vivida antiquitatis imago extingueretur, studiorumque simul et doctrinae fines paullatim coarctarentur, satis erat grammaticis ut illum tamquam divino quodam spiritu praeditum venerarentur atque a libero iudicio prorsus abstinerent, qua de causa Vergili potissimum

inepta quaedam atque etiam allegorica interpretatio cuius in Macrobi Saturnalibus exemplum habemus in usum venit. Eandem quam recentiores illi rationem noster Probus tenet, quippe qui praeter adnot. ad Ecl. 3, 40: „quamvis plures fuerint mathematici, eleganter errantem rusticum induxit dicentem Quis fuit alter? alter enim accipitur unus ex duobus“ et ad Ecl. 6, 31 (p. 10 K.): „proprium in Vergilio est ut nihil magnum sua auctoritate confirmet, sed aut a Musis acceptum dicat aut admirabile famae tribuat. Hoc quidam diffidentiae dicunt sqq.“ nusquam in toto libro iudicium quodcunque de Vergili arte posuerit; sed ut dixi, nolo hoc premere, quia hac quoque in re quousque excerptoris manus grassari potuerit, nullum habemus indicium certum. Oportet igitur ut non solum ex eis quae desiderantur sed ex ipsis commentari verbis argumenta eruamus quibus ad recentiorem ille aetatem detrudatur; ea autem partim ex libri compositione partim ex eis quibus a stulto et indocto homine (confidenter hoc dico, quamquam haud spernendam inesse doctrinam concessi) scriptum se esse prodit petenda sunt.

Ad Ecl. 3, 40 haec adnotatio adscripta est: „Conon Samius mathematicus. Sed quamvis plures fuerint mathematici, eleganter errantem rusticum induxit dicentem Quis fuit alter? alter enim accipitur unus ex duobus. *In alio sic:* Conon mathematicus, Aegyptius natione, Ptolemaeo adsiduus libros de astrologia VII reliquit. Alterum post Cononem quem dicat incertum est, sed suspicantur Archimedem quoniam Cononis discipulus, quidam Eudoxum Cnidium qui de astrologia disputaverit, quidam Aratum in quem fides videtur nutare quoniam Prognostica fecerit, quidam Hesiodum quod dixerit ita: *Πληιάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων*, quod et hic: Tempora quae messor, quae curvus arator haberet.“ Apparet ex verbis „In alio sic“ duorum adnotationes hic esse consarcinatas. Id adnotandi genus cum nemo profecto erit qui a Valerio Probo exercitatum

esse contendat, unum relictum est eis qui eum libri auctorem putant, ut alteram adnotationem ipsius Probi esse, alteram ab excerptore vel interpolatore undecunque additam existiment. Sed eam quidem quae posteriore loco posita est quominus Probianam putare possint verbis „in alio sic“ prohibetur, quae ipsa demonstrant non ex eo libro quo in plurimis excerptor utebatur, haec hausta esse. Itaque si forte quis haec quibus „ab alio“ inscriptum est Probo vindicare velit, nullum tamen ex ea re totius operis inscriptioni fulcrum adferet, ex contrario magis etiam eam debilitabit. Iam igitur certum est nullam esse causam cur huius capitis eam partem quae doctrinae maiorem speciem habet Probo tribuamus. Sed priorem quoque partem qui scripsit, cum veram Vergili sententiam non intellexerit — is enim non errantem inducit rusticum sed pocula describentem duabus tantum imaginibus exornata ita ut „Quis alius fuerit“ ne recte quidem dici potuerit — ab acri et prudenti Probi illius iudicio alienus mihi esse videtur. — Aliam eiusmodi consarcinationem invenimus in enarratione versus Georg. I 244 quae longior est quam quae hic describatur. Ibi quoque non multum post initium verba sequuntur „In alio sic“ quibus inducitur longissima dissertatio non contemnendae doctrinae de quinque zonis, quam eodem modo quo supra verba „in alio“ a Probo alienam esse ostendunt. Magnam eius partem iterum legimus apud Isidorum de nat. rer. c. 10, non quidem ipsis verbis cum hoc loco congruentem sed tamen simillimo rerum conexu eandem quam illa originem ostendentem (etiam apud utrumque quinque mundi zonae quinque digitis comparantur). Quae Isidori verba cum ex Suetoni Pratis excerpta esse Reifferscheidius perspexerit (ed. Suet. p. 195 sqq. 426 sqq.), ex eisdem Suetoni scriniis a grammatico nostro depromptam esse disputationem verisimile videtur. — Denique in adnot. ad Georg. II 37 voce „Aliter:“ commentatio alius grammatici priore parte longior et accuratior inducitur.

Certum igitur esse puto, non illius tantum generis interpolationibus qualibus omnes veterum commentarii scatent librum esse foedatum — notissimarum rerum dico brevem eamque non raro ineptam explicationem (quod pluribus persequi non opus est) — sed multo graviores mutationes pristinam operis formam subiisse longissimis ex aliorum commentariis adnotationibus hic illic interpositis; iamque eo tantum iure quis Probo adscribere poterit, ut quasi fundamenta quaedam ab illo iacta, magnas partes aliunde adpositas esse putet. Sed ne primae quidem partis Probum haberi posse auctorem demonstrat primum interpretandi ratio quam Vergili commentatores qui ipso iam erant antiquiores tenuisse dicit. Nomine quidem addito unum, ut diximus, Aemilium Asprum profert; saepius autem ad interpretes spectat quos in universum verbo „quidam“ significat. Et duobus quidem locis ex fontibus non contemnendis fluxere quae a „quibusdam“ nobis quidem ignotis scripta dicit; ad Ecl. 6, 31 p. 10: „Proprium in Vergilio est ut nihil magnum sua auctoritate confirmet, sed aut a Musis acceptum dicat aut admirabile famae tribuat. Hoc *quidam* diffidentiae dicunt; nam si confirmet, inquiunt, opiniones hominum ad credendum facilius inducat. Sed poeta fortius probat sqq.“ et ad Georg. III, 46: „Pollicetur autem se quoque Caesaris Octaviani qui postea Augustus cognominatus est, scripturum victoriam, et *quidam* putant eum promissis fidem destituisse, ignorantes non quidem προηγουμένως acta eius scripsisse, sed tamen non claudicare quantum ad fidei pertinet vinculum. In octavo enim descripsit in clipeo eius pugnam et Actiacum bellum quod gestum est cum Antonio.“ Duobus hisce locis bonae aetatis grammaticorum acriter et libere Vergilium perscrutantium sententias nobis servatas esse credo. Verum ne nimium ex ea re interpreti nostro propitii simus, illi „quidam“ quos aliis locis in usum suum convertit omnino aliam quam eruditae antiquitatis speciem prae-

bent. Consideres quaeso primum quae ad Georg. II, 197 legimus:

saltus et saturi petito longinqua Tarenti.

„Tarentum — condiderunt — exules Lacedaemoniorum. — In finibus autem Tarentinorum est locus quem Saturium vocant, unde etiam paludem Saturam, cuius etiam in septimo (Aen. VII 801) mentio est cum ait Vergilius:

Qua Saturae iacet atra palus gelidusque per imas
quaerit iter vallis atque in mare conditur Vfens.

Saturi ergo Tarenti a Saturio loco vel a Satura palude dixit. *Quidam* dicunt, cum ob agri bonitatem tum a loco quodam Saturo qui est prope Tarentum Saturum cognominatum.“ Primum illud vere miserandae ignorantiae testimonium quod Satura palus quam in Latio sitam Vergilius ostendit, cum Saturio loco Tarentino coniungitur, commentatoris nostri commodo ei auferre et ineptissimo interpolatori attribuere malim ita ut deleantur verba „unde etiam paludem — a Satura palude dixit.“ Iam vero concedatur ut Saturium illud re vera situm sit prope Tarentum neque grammaticorum tantum nugis artificiosis debeatur[1]) — sed si quis Vergili versum simplici usus iudicio consideraverit, num aliter poterit saturum Tarentum intellegere atque ita ut sit felix, dives, opulentum Tarentum? Non possunt, puto, primi saeculi grammaticis huiusmodi fabulae imputari. Noster autem commentarius alium iam ipso antiquiorem hic respexit, cum ipse ab uno loco Saturio, ille (quidam) „cum ob agri bonitatem tum a loco quodam Saturo“ Tarentum hoc nomine a Vergilio appellatum censeat. Iam igitur ante Probum nostrum personatum haec insania emerserat quam quisnam in antiquiores Probo interpretes velut in Cornutum vel Hyginum conferre audebit? — Lu-

1) Quod equidem non audeo decernere; Horati saltem versus Sat. I, 6, 59 »Me Satureiano vectari rura caballo« non ad Saturium sed ad Satureium locum spectat, de quo hic non agitur.

culentius etiam ut puto exemplum praebet adnotatio ad Georg. I, 5.

— vos o clarissima mundi
lumina, labentem caelo qua ducitis annum;
Liber et alma Ceres sqq.

„Hoc loco volt intellegi Lunam Cererem a creando dictam quia maturet fruges, Solem Liberum quia libere pervagetur per aëra vel quia eius fulgor aliorum lumina praestringat vel quia maturet vineas.“ Perabsurdam stultitiam haec prodere facile perspicitur; Vergilius enim cum in initio Georgicon primum Solem et Lunam invocet, deinde Liberum et Cererem aliaque deinceps numina, ibi ridiculo errore grammaticus nescio quis ipsum Liberum Cereremque mundi lumina a poeta dici arbitratus est, quam statim opinionem argumentis similis farinae explicare suscepit. Quae cum semel in lucem prolata esset sententia (quod non potuit fieri nisi tempore quo allegorica iam dominabatur interpretatio) plausu videtur excepta, cum alii quoque in eo tum laboraverint ut Solem eundem esse ac Liberum novis argumentis firmarent. Tria enim proferuntur (quorum quid sit absurdissimum decernere dubito) quae non ab uno auctore profecta videntur. Prima enim explicatio etiam apud Gaudentium legitur, postremae antiquitatis grammaticum (in schol. Bern. ed. Müller ad h. l.: „Quidam autem hunc Liberum Solem volt intellegi quod libere vagetur — Gaudentius dicit.“ cf. schol. Leyd. ap. Suringar. hist. crit. schol. Lat. II 276), reliquae duae nostrum tantum exornant commentarium. Verba vel — vel — vel significare videntur, ex compluribus fontibus has explicationes petitas esse. Quartam praeterea eiusdem rei causam excogitabant quam ex Servio animi causa cognoscere poteris. — Praeterea interpretes „quidam“ ad Ecl. 3, 40. Georg. I, 19 commemorantur, qui tamen apertam recentioris aetatis suspicionem nullam movent.

Hisce quidem locis etiam fontes ex quibus commen-

tator hausit obscurius saeculum iam ostendunt; multo pluribus autem (inter quos sunt qui interpolatori haud possunt adscribi) ipsum res Probi aetate prorsus indignas narrantem deprehendemus. Primum locos componam ex quibus cognoscitur in geographia imperitum tironem eum fuisse. Georg. II, 146: „Clitumnus est Etruriae fluvius a fonte navigabilis" (ultima ex Plinio fortasse habet qui Epp. VIII, 8 paullum ut puto rem exaggerans, de Clitumno dicit: „fons adhuc et iam amplissimum flumen atque etiam navium patiens"). At Clitumnus in Vmbria fluit. Georg. II, 38: „Taburnus mons est Appuliae regionis quae fertilis est oleae." Hunc in Samnitium Campanorumque finibus prope Capuam situm esse accipimus. Georg. III, 255: „Sabelli gens est Italiae, coniuncta mari, ubi maxima copia aprorum est." Vbinam Sabelli mare attingebant? Quibus locis consideratis a suspicione vix retineor, extra Italiam hunc commentarium esse conscriptum. Neque tamen Graeciae Orientisque terras accuratius novit, cf. Georg. III, 19: „Eos significat ludos qui — celebrantur — in Arcadia et dicuntur Nemea" quos si Argolidi tribuisset, recte fecisset; ibid.: „Alpheos enim flumen est Achaiae iuxta quem Elis oppidum, extra quod Iovis Olympii templum." Ignoravit Elidem oppidum neque ad Alpheum situm, neque Olympia ibi celebrata esse. Atque tamen in hac adnotatione Callimachi *Αἰτίων* mentio magis reconditam ostendere videtur doctrinam; neglegentia autem qua Elidem oppidum cum regione eiusdem nominis et Arcadiam cum Argolide confudit, satis prodit eum non ipsum Callimachum inspexisse (sane enim si tam remotos fontes ipse adiisset accuratius hoc facturus fuisset), sed incuriosius agentem e libris quos ad manus habebat hoc Callimacheum exscripsisse. Iam igitur exemplo monemur, ne ex locis reconditorum librorum adhibitis plus iusto concludamus. Ne Taygetam quidem, ut ad propositum revertar, montem noverat quem Laconicae fluvium esse ex

Vergili verbis concludere videtur Georg. II, 487: „Sperchios est Thessaliae flumen, Taygeta Laconices ubi venantur virgines Laconicae." Mira quadam credulitate de Eurota scripsit ad Ecl. 6, 82: „Fontes agit ex monte Maenalo, confunditur Alpheo rursusque discedit." Carpathum quae est insula inter Cretam et Rhodum sita „Peneo obiectam" existimat Georg. IV, 387. Ad G. I, 102 scribit: „Mysia est natio coniuncta barbaris, contingens Adriaticum sinum" nescius Illyriam esse interpositam. De India denique scribit Georg. I, 27: „Cingitur enim Caucaso India et flumine et oceano" tenuiore profecto Orientis notitia quam Domitiani Traianique tempora habuerant. Gravius etiam posterioris commentariorum originis argumentum in eis continetur quae contra historiam peccant. Ita in adnotatione ad Georg. III, 1 haec leguntur: „Amphrysos flumen est Thessaliae cuius regionem quandam Molossi incolunt quorum rex fuit Admetus Pheretis filius, cuius pecora et armenta pavit Apollo sqq." Nonne luce clarius est, fabulosum illum Admetum Thessaliae regem cuius pecora pavit Apollo miro modo confusum esse cum Admeto Molossorum, Epiroticae gentis, rege, Themistoclis exulis hospite? Ad Romanam historiam accedamus quam si quis primi p. Chr. saeculi grammaticus ignorasset, iure esset explosus. Tamen ad Georg. IV, 125 adscripta sunt haec: „Pompeius cum oppugnaret piratas, remigibus eorum promisit agros si vicisset eorum adiutorio; quorum proditione victor Tarentinorum agros veteranis divisit et quicquid deterrimum fuit remigibus dedit." Quae narratio cum a veritate nimium quantum abhorreat (neque enim Pompeius piratarum remigibus ut quorum adiutorio vicerit neque vero veteranis suis, sed ipsis piratis agros divisit, cf. Suet. ap. Serv. et ap. schol. Bern. h. l. Liv. perioch. l. XCIX. Dio Cass. 36, 35. Appian. Mithr. 96), equidem sane nescio quid de Valerio Probo existimandum esset si tales nugas effinxisset. Omnia enim ex Vergili verbis

„Corycium — senem, cui pauca *relicti* Iugera *ruris* erant“ perperam explicatis efficta esse apparet (simili modo illam de Pane et Luna quam supra commemoravi fabulam ad Georg. III, 391 finxisse videtur). Vehementer denique dubito num quis Divi Iuli statuam unquam viderit „cuius capiti stella addita est“ id quod commentator noster concludit ex versu Ecl. 9, 47:

Ecce Dionaei processit Caesaris astrum.

Hisce contra rerum veritatem peccatis quae omnia stultam ignorantiam ex ipsis poetae verbis quidlibet sibi enucleantem produnt, ad illam commentari partem ducimur quam consulto hucusque neglexi, praefationem dico. Continet ea brevissimam Vergili vitam, dein triplicem de bucolici carminis origine narrationem, de bucolicorum versibus et dicendi ratione observationes quasdam; tunc sequitur expositio causae cur poeta ea scripserit ordinisque et pronunciationis eorum, mentio allegoriae, brevis denique omnium poeseos generum commemoratio. Quae omnia, quamquam tria nobis pretiosissima Varronis Catonis Lucili fragmenta continent, ut ad Berytium Probum non possint referri primum errores qui insunt vel maximi efficiunt. Quid quod (p. 2 K.) Xerxem apud Marathonem victum putat? quin quod — Romanam rem dico — M. Antonium triumvirum provinciam sortientem facit Aegyptum (p. 5)? Quam ineptam narrationem profert p. 5: „Italiae ergo civitatibus diversas partes sequentibus Cremonenses et Mantuani neutri sunt auxiliati; sed hoc Augustus indignatus veteranis quorum operam in bello habuerat agros Cremonensium dividi iussit“ sqq. qui, quod per se consentaneum est, propter inimicorum partes susceptas bonis privati sunt. Regali opulentia Vergilium fuisse mirabundi audimus: „unde factum uti Vergilius quoque agros amitteret quos sexaginta veterani acciperent.“ Quam confusam et perturbatam Vergili notitiam interpres habuerit ea re luculente demonstratur quod bucolica eum scripsisse dicit (p. 5) non, ut

erat, bello quod triumviri adversus Brutum et Cassium gessere Philippensi pugna confecto, sed errore duodecim annorum post Actiacam Octaviani de Antonio victoriam. Maior etiam temporum perturbatio deprehenditur p. 1: „cum iam summis eloquentiae doctoribus vacaret, in belli civilis tempora incidit quod Augustus adversum Antonium gessit.“ Sed tunc triginta septem iam annos natus erat, et suo prorsus lubitu ὀψιμαθέστατον vitae scriptor Vergilium facit. — Deinde autem certius etiam demonstrari poterit, librum esse obscurae originis, si vitam nostram cum Suetoniana contulerimus. Diu intellectum est a viris doctis in Donati vita Vergiliana illam esse servatam, quod novissime Reiffersch. (Suet. p. 401) quamquam non omni ex parte confirmat [1]). Suetonius vero in vitis poetarum conscribendis, qua erat diligentia, omnes qui de eadem re antea scripserant, vitasque etiam poetarum operibus in libris prae-

---

1) Hisce verbis Reiff. utitur: »quae cum ita sint, patet opinor vitam quidem Suetoni nos habere sed retractatam illam Donati cura.« quam sententiam doleo non fusius ab eo explicatam esse. Dictiones multas Suetoniano usui simillimas in hac vita inesse I. Fr. Gronovius animadvertit. Atque sane totus sermonis color rerumque et electio et ordo Suetonium tantopere redolent, ut quidnam fuerit Donati illud retractandi officium, equidem non possim cogitando assequi. Reculam pro opibus dictum non quidem usitatius est, sed tamen (ut taceam in Ciceronem quoque pro Sest. 51, 110 coniectura a multis iam laudata hoc vocabulum esse inlatum cf. Mus. Rhen. XVII, 315 sq.) Suetonio concedi potest, praesertim cum unicum sit exemplum elocutionis non dixerim posteriorem sed volgarem dicendi usum redolentis. Quod autem Hieronymum in Suetonianis excerptis non plane dicit Reiffersch. cum hac vita consentire, haec Hieronymi solius culpa est. Vita enim haec habet (p. 63, 5 Reiff.): »Ossa eius Neapolim translata sunt tumuloque condita qui est via Puteolana intra lapidem secundum.« Hieronymus autem (Chronic. Ol. 190, 2): »Ossa eius Neapolim translata in secundo ab urbe miliario sepeliuntur.« Apparet Hieronymum neglegentius »urbem« dixisse Neapolim, non quae est proprie urbs, Romam.

missas perscrutatus est (Reiff. Sueton. p. 423), inter quas non minimi eum preti duxisse si quae erant a Valerio Probo conscriptae et per se credibile est et Reifferscheidius l. c. p. 395, de Persi vita agens, contendit. Itaque si vitae nostro commentario praescriptae (vel potius illius ex qua ista excerpta est) nullam prorsus rationem habuisse Suetonium demonstrari poterit, Probo eam abiudicandam esse quis non concedet? Patrem Vergili secundum Suetonium „quidam opificem figulum, plures Magi cuiusdam viatoris initio mercennarium mox ob industriam generum tradiderunt.“ Diversa igitur tradita invenit atque in neutram partem inclinans, quae invenerat conscripsit. Sed noster commentarius „patre rustico“ natum dicit; quod si Suetonio compertum fuisset, non tacuisset. „Possedit prope centies sestertium ex liberalitatibus amicorum“ secundam Suetoni vitam, cuius famae quasi per nebulam recordatus Probus personatus „Ab Augusto“ inquit „usque ad sestertium centies honestatus est.“ Praeterea complures eorum quos supra dixi errorum respiciendi sunt, ut quorum loco Suetonius veras res narret. — Quibus rebus omnibus fit ut Probo Berytio haec vita omnino abiudicanda sit et posterioris aevi homini tribuenda qui ex memoria tantum narrans et quasi dormitans vera falsaque stulte commiscuit. Melius videtur fontes suos inspexisse in disputatione quae est de bucolici carminis origine, neque tamen cum de eis quas dixi causis haec praefatio Probo sit abiudicanda, haec disputatio quae quidem eruditionis haud est expers, iudicium nostrum mutare poterit. Posteriores enim grammatici cum nil fere facerent nisi ut antiquiores excerperent, nonnunquam factum est ut optimum quidque non (quod tamen plerumque facere solebant) omitterent sed retinerent. Neque ego dubito quin in primi saeculi commentariis eadem fere de ea re scripta fuerint quae hic quoque leguntur. Admodum enim similia in Theocriti scholiorum praefatione habemus, ita ut haec commenta a Graecis iam ad Roma-

nos pervenisse et apud hos per saecula propagata esse videantur; nam etiam in Servi praef. ad Bucol. paullo tantum breviora inveniuntur. Sed tamen ex ipsius Servi comparatione docemur, excerpta tantum apud Probum nostrum legi; ubi enim tertiam bucolicorum originis causam exponit (p. 3, 20), ipsum rei cardinem quique a Servio memoratur, plane omittit: templo posito festum hymnis ab accolis celebratum esse, qua ex re bucolicorum mos sit exortus. Quamobrem ea quoque quibus commentarius excellit (p. 4), Varronis Catonis Lucili fragmenta non ipsum ex auctoribus petisse sed ex alio interprete traxisse apparet. Quae deinde sequuntur de re poetica observationes, eae nil habent quod aliquid momenti eis vindicet, neglegentiam autem excerptoris prodit p. 7, 2 „hircus Libyca lingua tityrus appellatur“ quam vocem Servius l. c. ex Laconum sermone ducit, id quod omnibus numeris probabilius est. Certum igitur puto hanc praefationem multa ex parte non quidem diversissimam esse ab antiquioribus, neglegenter autem ex eis exscriptam. Quare cum eiusmodi de poematum generibus narrationes, Alexandrinorum puto aetate exortae, per omnem antiquitatem propagatae sint, nullam video causam cur Suetonium cuius de ea re commentationem ap. Diomed. p. 482—492 servatam esse O. Iahnius agnovit, in bucolicorum origine enarranda hoc cum maxime commentario tamquam Probiano usum esse cum Reifferscheidio (l. c. p. 371 sqq.) sentiamus; cum neque Suetonium in praefatione libri de poetis „Probum potissimum auctorem habuisse“ (ibid. 379) certum sit neque commentarius Suetoni aetatem excedere possit. Mihi, ut breviter potius dicam quam fuse demonstrem quod sentio, in eo nitendum videtur quod Ritschelius perspexit (Parerg. Plaut. I p. 622), Varronis de poetis similibusque eiusdem libris Suetonium in hoc opere praecipue usum esse. Quod non solum in vitas poetarum sed in praefationem quoque cadere puto res tractantem easdem de quibus Varronis de poematis libri

III egisse videntur; ita ut Suetonius pauca tantum mutaverit, poetarum qui post Varronem vixerunt nomina et sententias nonullas Horati, ex arte maxime poetica, adiciens. Id ea fortasse re confirmatur, quod de poesi dramatica multo fusius et accuratius quam de ceteris generibus disputat, quam Varroni quoque maximae curae fuisse multi eius librorum tituli declarant.

In fine disputationis illuc redeundum est quod non parvam in commentario doctrinam hic illic dispersam esse supra dixi. Sed ea re non eo ducimur ut antiquiori aetati eum adscribendum censeamus. Haec enim studiorum grammaticorum condicio fuit ut qui antea thesauri conlati erant, ex eis posteriores cum inde ab Antoninorum fere aetate perscrutandi et cum sudore inquirendi studium extingueretur, quidquid vellent sibi decerperent. Quo factum est ut modo brevissimo compendio, omni doctrinae apparatu neglecto res quae memoratu dignae videbantur exscriberentur, modo ille vel totus vel ex parte in recentiores libros transiret. Hoc e. c. in Servi saeculi V grammatici commentariis factum est qui multas res aliunde ignotas remotissimorum nonnunquam scriptorum auctoritate confirmat; nempe ex antiquiorum commentariis eas petivit. Quod cur in nostro libro non potest eodem modo factum esse? cur hunc Probum (ut nomine utar) quae ex Callimacho Asclepiade Palaephato profert, ipsum ibi hausisse putemus, cum tot causae recentem et satis neglegentem excerptorem eum esse declarent[1]? — Non cadunt quae dixi in disputationem de mundi elementis quae ad Ecl. 6, 31 adscripta est, unam illam plus quam sexta totius libri parte constantem. Non potest illa nisi florentium studiorum tempore conscripta esse; doctissime enim parique

---

1) adnotare liceat plurimas fabulas ex Ovid. Metam. ut videtur desumptas esse, nomine paucis locis apposito; cf. adnot. ad Ecl. 6,61. 74 bis. 78. Georg. I, 36. 60. 221. 399. II, 84. 360. III, 338. IV, 15. 317.

diligentia omnibus disputationis partibus tractatis scriptorumque omnis generis plurimis locis ad verbum descriptis propositum suum libere pertractat. Ea quaestio cur unica integra in nostrum commentarium translata sit, certo non poterit cognosci; suspicor equidem ipsam materiam quae tractatur causam fuisse. Nonnunquam enim invenimus in mythicarum physicarumque rerum coniunctionem quandam allegorica ratione efficiendam interpretem nostrum inclinare[1]), cuius cum plenissimum in hac disputatione exemplum repperisset, in suum opus transscripsit. Genuinam autem formam non videtur retinuisse; unum quidem inest verbum effigiare (p. 10, 33) quod apud multo recentiores demum in usu est, sed totus dicendi color anticum illud tempus haudquaquam redolet, cum reliqui autem commentari elocutione omnino congruit. Retractatori adsignaverim etiam Ennianum versum Lucretio tributum p. 20, 25 et ineptam de Anaxagora narrationem p. 13, 10; praeterea si quidem Aemilium Asprum ad inferiorem aetatem reiciendum esse recte supra demonstravi, mentionem eius p. 15, 24. 19, 9 interpolatam esse oportet, quae nullo sententiae detrimento utroque loco omitti potest dummodo versus Homericus p. 15, 27 retineatur.

Summa eorum quae adhuc disputavi haec est:

> *Quamquam auctores in commentario prolati omnes Valerio Probo antiquiores sunt (nisi quod de Aspro dubito) doctrinamque non spernendam passim exhibet, tamen a Valerio Probo abiudicandus est quia 1) aliis omnino atque ille rebus explicandis studet, 2) magnam saepe ignorantiam prodit atque etiam ex fontibus non maioris doctrinae nonnunquam hausit. Aliis autem locis bonos et antiquos commentarios sed neglegenter exscripsit.*

Restat, quoniam ipsum commentatoris nomen non po-

---

1) cf. adnot. ad Ecl. 7, 61. Georg. I, 5. 12. 16. 244.

terit investigari, ut quando Valeri Probi nomen commentario inscriptum sit indagare conemur. Qua in re ne illud quidem mihi certissimum est, fuisse hanc inscriptionem in archetypo codice Bobiensi nunc deperdito, cum ed. pr. anni 1507 quae ex eo manavit „Probi vetustissimi grammatici“ nomine signata sit. Duo quidem illi quos solos habemus libri mss. saec. XV, ei quoque ex Bobiensi derivati (cf. Keil. praef. p. VIII), Vaticanus „M. Val. Probi“ Parisinus „Valerii Probi“ nomen prae se ferunt. Sed etsi Vaticanus fortasse non ab ipso Pomponio Laeto scriptus est [1]), non tamen stupido librario debetur sed homini qui animum advertit ad ea quae scripsit. Cuius rei exempla sunt, quod p. 1 versum Vergili qui affertur, ab omnibus sic narratum „— cecini pascua rura duces“ non inficete ille ita mutavit „— cecini pascua poma Phruges,“ quodque locos corruptos saepius emendare temptavit, cf. p. 5, 13. 30, 10. 66, 6 all. Non mihi videtur incredibile eum e Suetoni de grammaticis libello qui circiter med. saec. XV inventus moxque volgatus est, M. Valerium Probum cognitum habuisse eundemque illum putasse atque Probum eum cuius nomen in ms. Bob. legerit. (E Gellio enim, de quo facile quis cogitet, praenomen eius non potuit scire.) Cui opinioni non contemnendum succurrit argumentum. Ad Georg. III, 25 codicem Bobiensem haec habuisse ex ms. Paris. et ex ed. pr. cognoscimus: „Plerumque ludis imperatoris quas proxime gentes devicit, earum habitum et figuram aulaeis intexunt.“ Contra ms. Vatic. hanc interpolationem exhibet: „Plerumque ludis *Domitiani* imperatoris quas proxime sqq.“ Quam mutationem facile ea de causa librarius facere potuit ut M. Valerium Probum auctorem imperatoris cui aequalis erat nomine fulciret. Ms. Paris. nomen „Valerii Probi“ ex eodem Suetonio vel, si

---

1) ab illo scriptum esse, Brunnio auctore, Keilius defendit l. c. p. X, contradicente G. Thilone in Mus. Rhen. XV, 150.

ante a. 1450 scriptus est, e Gellio accipere potuit. Si igitur res ita se habet, ut Probum nomine antiquitus traditum libri auctorem putare possimus, simplicissime absolveretur: Italis saec. XV philologis M. Valerium nos debere diceremus. Contra aliud est argumentum (si quidem in re tam incerta argumentum dici licet) eo ducens ut Bobiensem iam codicem Valeri Probi nomine exornatum fuisse putemus. In catalogo enim librorum Bobi adservatorum decimo saeculo exarato inveni „Valerii Probi libros III" (cf. Murator. Antiqq. Ital. III, p. 820 d) non addito librorum argumento. Libri in catalogo illo pro voluminibus plerumque dicuntur; quorum unum etiamnunc exstare puto „codicem olim Bobiensem nunc Vindobonensem 17 saec. VIII vel IX" qui „Valerium Probum de nomine" et Probi Artem minorem continet (cf. Eichenfeld et Endlicher Anal. gramm. p. VII. XI). Quae in altero volumine fuerint exquirere non potui; commentarium quidem nostrum (si quidem in illis fuit) uno tantum volumine[1]) constitisse ex

1) Ceterum adnotandum tandem est pleniores olim hos commentarios ut videtur (sed non in ms. Bob.) fuisse. Quod enim schol. Bernens. saec. X ad Georg. I, 403 afferunt: »Noctua avis lucis profuga, si canit post solis occasum pluviam significat. Probus ait; si in tectis vel in arboribus canat sero, serenitatem significat« (eadem fere Servi cod. qui Burmanno G dicitur, saec. incert., cum Probi nomine h. l. habet), ea cum commentari nostri indole tantopere congruunt, ut non dubitem ad eum olim pleniorem referre. Quae vero schol. Bern. ad Georg. IV, 134 de infinitivo pro imperfecto posito habent (v. p. 8), ea utri Probo adscribam dubius haesito. Iam etiam Pomponius Sabinus proferendus est, quem cum olim viri docti locupletiore quam nos codice usum esse suspicarentur, nunc demum Probo a Keilio accurate edito eisdem quas nos habemus copiis circumscriptum fuisse apparet. Sed mira dubitatio manet, cum unius loci (Pomp. Sab. ad Georg. IV, 367: „Hoc dicit ut tangat opinionem eorum qui dicunt omnia flumina habere unam originem ut meminit Probus, et postea labi per varia loca et varias origines esse canales quosdam qui ex hoc fonte veluti capite deducuntur tamquam membra«) ori-

praef. ed. pr. docemur (cf. Keil. praef. p. V), Valeri autem Probi libros tunc superstites fuisse nullo modo mihi persuadere possum. Cum vero codex archetypus post decimum demum saeculum Bobium pervenisse possit, nil certi de eius inscriptione ex catalogo consequitur; et confitendum est non liquere quando nomina M. Valeri irrepserint; irrepsisse autem certum est, nisi quis forte iuniorem M. Valerium Probum ipse sibi fingere velit. Sed non ita certum est, Probi quoque nomen esse suppositicium. Nos quidem unum tantum eius nominis grammaticum qui aliquid scripserit novimus: illum quarti saeculi artigraphum supra iam commemoratum; nam scholia in Iuvenalem quae ut a Probo quodam scripta Ge. Valla a. 1486 edidit, editoris errore Probo adsignata esse Iahnius (in proll. ad Pers. p. CLVII) perquam probabile reddidit, et quod Parrhasius iunioris Probi scholia Persiana se vidisse dicit (Iahn. l. c.), id omni probabilitatis specie caret. Probos quosdam doctos sui aequales Ennodius et Lupus abbas nominant. Eligendi igitur copiam habes utrum Probo alicui nobis ignoto (nam de artigrapho non cogitarim, licet eius fere aetati librum tribuendum putem) an homini cuius nomen evanuit, commentarium adscribere malis.

Probi artigraphi ut videtur libellus ad nos pervenit in cod. Bob., de quo v. supra, s. VIII vel IX hac inscriptione: „Valerius Probus de nomine“ (cf. Endlicher l. c. Osann Beitr. p. 259) et eiusdem opusculum habemus (ed. Endlicher l. c. p. 446 sqq.) quod in ms. s. X „Differentiae Probi Valerii“ dicitur (cf. Osann l. c. p. 254 sqq.). Ibi Probi nomen causa extitit ut Valerius adderetur. Sed etiam sine ulla causa Valeri Probi nomen libris inscriptum

ginem non potuerim indagare. Quem locum utrum errore ductus Probo attribuerit an ex codice nunc deperdito hauserit (cuius neminem tunc Italorum meminisse mirandum foret) non decerno. Indolem quidem commentari nostri hic quoque locus redolet.

est, cuius rei luculentum exemplum habemus in Persi cod. Monacensi s. XI, ubi commentarius in Persium qui volgo Cornuto tribuitur, ad Valerium Probum refertur (cf. Iahn l. c. p. CCV), id quod alibi quoque illi accidisse eo cognoscimus quod Hermolaus eundem commentarium Probi esse dicit (ibid. CLVIII). Addendus est etiam liber qui M. Valeri Probi fertur de notis, de quo cum Mommsenus (Ber. d. Sächs. Ges. d. Wiss. 1853 p. 91 sqq.) egregie disputaverit, in hoc uno ei assentiri non possum, quod inscriptionem genuinam esse censet; neque enim iuris peritum fuisse illum neque talia scripsisse quibus quotidianum discentium usum adiuvaret, ullo modo comprobari potest; multo probabilius est ab aliquo qui de criticis illius notis audiverat, has quoque iuris notas ei attributas esse. Eligas igitur utrum magis arridet: aut a Probo quodam aut ab alio grammatico commentarius scriptus, M. Valeri autem nomen incerto tempore ut aliis ita huic libro impositum est.